Miscellanea 823

EPISTOLA

S. P. T. B. I. M.

AD

REV. ET CLARISSIMOS DOMINOS, ECCLESIARUM ARCHIPALATINARUM

Ephoros ac Paſtores, Compatres, Fratres ac Fautores in Chriſto ſummè honorandos, quos non ita pridem in patriam revocatus, in præſentibus periculis mœrens poſt ſe reliquit:

Fraternam exhortationem & conſolationem his temporibus accommodatam συμπαθῶς complectens.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Proſper:

Nunquam bella pijs, nunquam certamina deſunt:
Et quocum certet mens pia ſemper habet.

Anno Domini M. DC. XXIV.

TERTVLLIANVS
de Fuga in Perſecutione.

Perſecutio pala illa eſt, quâ Deus aream ſuam, ſc. Eccleſiam purgat, confuſum acervum fidelium eventilans, & diſcernens frumentum martyrum, & paleas negantium.

Et paulò poſt:

Diaboli legio ne in porcorum quidem gregem poteſtatem habuiſſet, niſi eam à Domino impetrâſſet. Imò dicere poſſum, porcorum quoq; ſetas tunc numeratas apud Deum fuiſſe, nedum capillos ſanctorum.

Et paulò poſt:

Cùm exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc ſunt ignea jacula Diaboli, per quæ fidei vſtio & conflatio adminiſtratur: ex Dei tamen voluntate.

Et iterum paulò poſt:

Deum nolle confiteri negare eſt.

Et tandem in fine eiuſdem libri.

Qui pati timet, non poteſt eius eſſe, qui paſſus eſt. At qui pati non timet, iſte perfectus erit in dilectione Dei.

VIRI REVERENDI, CLARISSIMI, COMPATRES

& in Chriſto Fratres περιπόθητοι:

SI juxta nobilem illam Socratis atquè Platonis ſententiam, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, certè etiam, ut in Phœniſsis Euripides inquit, τὰ τῶν φίλων ἄχη κοινὰ εἶναι, vehementer mihi videtur eſſe conſentaneum. Iſthæc enim lex veræ amicitiæ eſt (Gregorij verba ſunt) vt qui diligit in proſperitate, diligat & in adverſitate. Et qui fingit amicitiam, peior eſt illo, qui adulteratam excudit monetam: quia ille in rebus, iſte in animo fraudem committit. Quò etiam Apoſtoli Gentium verba referenda ſunt, dicentis: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. *Rom. 12. v. 15.* Hæc initio ſtatim ſcribo, ô Domini ac Fratres mei venerandi, ô viſcera mea perdilecta, ut quantum ex veſtro, totiuſq; Archipalatinatus acerbiſsimo caſu cum bonis omnibus conceperim dolorem ac mœrorem, ut aliqua ex parte (totum enim nec centum vel ora, vel calamì valeant reſerare) vobis (quanquam de hoc nec hilum dubitantibus) aperirem. Interrogatus olim, ut eſt apud Plutarchum, Melanthus, Alexandri illius Pheræi paraſitus, Quomodo interfectus fuiſſet Alexander? *De diſcrim. adulat. & amici.*

xander? Per coſtam, inquit, in meum ventrem. Sic ego ſi interrogarer, quomodo vos, quomodo tot alij tum Eccleſiaſtici, tum Politici ordinis homines, non divitijs tantum atque honoribus, ſed quod præcipuum eſt, pietate doctrinâque præcellentiſſimi, interfecti, fortunis omnibus exuti, ac nullo non contumeliarum genere affecti ſitis in Palatinatu? Profectò dicere aliter non poſſem, quam factum hoc eſſe per veſtra, veſtrorumque capita atque fortunas in meum cor. De alijs, qui FRIDERICUM Principem, qui vos, qui alios Profeſſores, qui ipſum Palatinatum non viderunt, non noverunt, non incoluerunt, dicere quidem ac fateri veriſſimè habeo, ipſos omnes celeberrimi huius Palatinatus exequias dolere ac flere Chriſtianum in modum: verùm ſicut juxta Plautinum adagium, tunica propior eſt pallio, ita (pace illorum dixerim) meus dolor ipſorum dolorem exuperat quàm longiſſimè. Privatæ rei jacturam, quæ mei fortè ſimilibus multis non videretur nulla, pauci ac nauci facio, feciq; ſemper.

Publica tantùm mala, quia non idem animus, non eadem fidei contingit menſura omnib⁹, dies me noctesq; affligunt, cruciantq;. Quid enim? an non deplorandæ ſunt tot deſolatæ vineæ? tot neglecta cultiſſimi ſoli infinita jugera? tot nō ſplendidiſſimæ tantum ædes & templa, ſed nobiliſſimi pmulti pagi, vici, oppida, vrbes, gymnaſia vel tota, vel magna ex parte cineribus obruta? tot direptæ gazæ? tot per immane nefas violatæ virgines ac matronæ? tot viri, juvenes, & infantes, ſine ullo diſcrimine pluſquam ſcythicum in morem excarnificati & occiſi? tot in exilium acti, & adhuc agendi? Sunt ſanè hæc quam maximè

mè deploranda: ſed tamen levia poſſent quoquo modo videri, ſi vnicum, quod bonorum omnium eſt apex, vobis relinqueretur inviolabile.

Hîc ipſi illi ἀγριόθυμοι καὶ ἄσπονδοι noſtri adverſarij, quid putem, omnium optimè noverunt. Fides nempe eſt, quam puto: religio eſt: pietas eſt: verbum Dei eſt. Hoc vnū ſibi divinus Pſaltes in perſecutionibus re- *Pſal. 27.*
linqui optavit ſemper: hoc unum in Evangelio ipſe *v. 4.*
Chriſtus prædicavit eſſe neceſſarium. Hoc unum vo- *Luc. 10.*
bis (quod unicè quæſiverunt adverſarij) per vim ex *v. ult.*
templis, & ipſis, ſi fieri poſſet, cordibus (quæ templa ſunt ſpiritualia) extorqueri, me piosque omnes non poteſt non, ſupra quam cuiquam inexperto credibile eſt, maximoperè perturbare: O Heidelberga, ſancta Sarepta! O Neoſtadium: O Germersheimium! (Vos enim vrbes mihi notiores, quæ vim hoſtilem poſtremò expertæ eſtis, nominatim compello) vosne execrabilē ac verè tremendam Miſſam intra muros veſtros fovere & exercere? vosnę hoc βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως in locis tam ſanctis conſtitutū quotidiè intueri? Doleo, doleo ex animo, quantum poſſum, nec ferè, quod præ dolore amplius dicam, invenire licet. Res enim tanta non tam verbis, quam lacrymis opus habet. Senecæ, ni fallor, ſententia eſt: curas tenuiores loqui, graviores autem ad tempus obſtupeſcere. Idem mihi accidiſſe hactenus, Domini ac Fratres in Chriſto honorandi, credi tote quæſo. Pridē vobis, ſicuti multis nominibus debeo, & libenter debeo, aliquid ſcripſiſſem: ſed luctu ac dolore nimio præpeditus, & tantum non obſtupefactus, quod volui, non potui. Ne verò nimium ſilentium, quod Amyclis olim accidiſſe ſcribitur, mihi tandem aliquando fraudi ſit,

 dolorem

dolorem ac ſilentium, quantum fas eſt rumpam, & ad vos epiſtolam hanc animi mei indicem (quando ipſe venire non poſſum) ablegabo. Quia verò, quoſnam ex vobis divina providentia in hoc communi incendio ſuperſtites conſervaverit, ignoro; & licet ſcirem, omnibus tamen hoc tempore idem ſcribendum fermè eſſet, epiſtolâ hac typis deſcriptâ, quaſi de eadem fidelia plures, quod ajunt, dealbare parietes in præſenti conſtitui. Nec verò amplius (ſiquidem calamitas veſtra Deo, hominibusq; plus ſatis innotuit) inanes ad æthera queſtus fundam, ſed ad ſaluberrimas potius S. Scripturæ conſolationes atque inſtructiones me convertam, quarum virtute cum Apoſtolo in eo, qui dilexit nos, ad extremum uſque vitæ halitum diſcamus ὑπερνικᾶν. Negare equidem haud poſſum, vos omnes & ſingulos multò me plura & efficaciora in hoc & omni alio genere & pridem ſciviſſe, & veſtris gregibus longo tempore fideliter tradidiſſe & inculcâſſe. Veruntamen ut in aqua extremè periclitantes proxima quæq; libenter arripere, firmiterque vtrâq; manu tenere ſolent, ita vos quoq; inter decumanos perſecutionum fluctus, tenuia hæc à minimo & indigniſſimo Chriſti Servo profecta non rejecturos eſſe, planè confido. Idque vt faciatis, fraternè rogo.

Rom. 8. v. 37.

Ac initio quidem, ſi omnis arbor à fructibus an bona ſit vel mala, cognoſcenda eſt, Perſecutionem ſanè præſentem non tam fructuoſam & utilem, quàm neceſſariam nobis fuiſſe, optimè ex ſequentibus conſtabit.

Peccatorum ſeriam agnitionem, triſtitiam ſe-

cundum Deum, veram animi humiliationem, fidem,
ſpem, invocationem, patientiam, perſeverantiam,
vitæ emendationem, gratiarum actionem, pacem ac
gaudium Spiritus S. & alia ad ſalutem æternam con-
ſequendam neceſſaria eſſe, nemo vel θεολογώτατος in-
ficias ibit. Quod ſi ergo ad oculum de præſenti per-
ſecutione demonſtrare potuero, quod fructus illos
ſaluberrimos in animis noſtris progignat, ac progi-
gnere debeat, utique de ejuſdem neceſſitate atque v-
tilitate nemo amplius dubitare poterit. Sanctiſſimos
Dei homines in hoc mortis corpore conſtitutos næ-
vis ſuis minimè carere, ſacræ literæ, & ipſa adeò ex-
perientia evidentiſſimè nobis ob oculos ponunt.
Atqui non rarò accidere ſolet, ut ipſi illi ſancti Dei
homines peccata ſua cum Davide ad tempus diſſi- *Pſal. 32.*
mulanter tegant, magnoque ſuo malo ceu noxium *v. 3.*
ſerpentem in ſinu foueant. Caſtigandi ergo ſunt, ac
probè excutiendi, ne tandem, ut eſt apud Jeremiam, *Jer. 30. v.*
à peccatis ſe prorſus immunes eſſe arbitrentur. Hoc *11.*
Paulus docere voluit, cum ſcripſit: Cum judicamur, *1. Cor. 11.*
à Domino caſtigamur, ne cum Mundo condemne- *v. 32.*
mur. Certè beatus ille martyr Cyprianus teſtis eſt,
cauſam perſecutionum ſui temporis fuiſſe fidelium
vitam diſſolutiorem. Quam eandem etiam Euſe- *Lib. 8.*
bius indicat, perſecutionem ſub Diocletiano deſcri-
bens: ubi ſimul apertè innuit, magno fidelium, ſi per-
ſecutionum mole premantur, emolumento fieri. Ac
in Palatinatu quidem, amœniſſimo illo horto Domi-
ni, in tanta blandientis ac luxuriantis fortunæ pro-
ſperitate inimici noſtri Zizania, ſecuritatem, luxum,
ſuperbiam, ebrietatem, contemptum miniſterij,

ὕβριν

ὕβριν, & alia tetra flagitia magis magiſq́ue (proh dolor) ſuccreviſſe, ac nobile illud verbi divini ſemen tantum non ſuffocâſſe, communes noſtræ querelæ, quibus Eccleſiæ ubíque locorum perſonuerunt, abundè ſatis teſtantur. Et nos ipſi magnam partem, ô Fratres, qui omni virtutum genere omnibus præſtare ac prælucere ex officio debebamus, noñe, ut Græci dicunt, πολλάκις πρὸς δυστὸν ἀχερὸν εἰσκρούοντες λίθον, officij noſtri limites non ſine ſcandalo tranſilivimus? Ingenuam quidem tot peccatorũ agnitionem atq; confeſſionem non ita pridem extorquere cæleſtis ille Pater à nobis omnibus voluit, dum Cometam, dirum ac durum mortalibus omen, toti Germaniæ ob oculos poſuit: dum horrendum & ingens illud murium agmen ante ſexennium, qui ampliſſimos agros, & ditiſſimas areas brevi inauditum in modum depopulati ſunt, in Palatinatum immiſit: dum eodem ferè tempore in eodem Palatinatu multa in cunis adhuc vagientium, & paulò adultiorum liberorum millia peſtilenti quâdam lue nobis eripuit: dum annonæ difficultate, leviori quidem illâ, ſed tamen multis ſat gravi, Palatinatũ & alias regiones vicinas diu admòdum afflixit. Sed his alijsq́ue iræ excandeſcentis judicijs nihil aliud effecit Deus, q̃ ut (malum) indies cum Pharaone obſtinatiores ac deteriores efficeremur. Huic ergo tam contorto ac duro nodo alius, ut proverbio dicitur, adhibendus cuneus fuit. Quis ille cuneus? Bellum eſt, res minimè bella, quo etiam adventante mortales omnes exceptis inexpertis animo contremiſcere, Pindarus affirmat. Hoc bello jam ſi, quemadmodum reliqua Palatinatus omnia

De his muribus D. Fabricius, Paſtor Schriesheimenſis, tractatum edidit.

Apud Stobæum.

ad extrema ſunt redacta, ſi, inquam ego, hoc eodem bello ad ſeriam peccatorum agnitionem ac confeſſionem corda noſtra ſimiliter redigi potuerunt (ut ſanè potuerunt ac debuerunt) certè non jam infeliciores, ſed longè beatiores inde facti ſumus. Non enim caſtigatus, ut Nilus inquit, ſed fortunatus peccator lugendus eſt: huic enim gladius intentatur extremi judicij. Populus certè Iſraeliticus, incurvicervicus ille populus (ut de inſolenti gente, inſolenti quoque Politiani voce utar) non aliâ re melius, quàm aſſiduis bellis ac perſecutionibus ad ſeriam peccatorũ agnitionem adduci ac pertrahi potuit. Ipſe ille pijſſimus Propheta Daniel in exilio Babylonico ſic totius populi tranſgreſſiones humiliter agnoſcit ac confitetur: Domine Deus, peccavimus, & iniquitatem fecimus, impiè egimus, & rebellavimus, & receſſimus à mandatis tuis, & judicijs tuis: Tibi Domine Juſtitia, *Cap. 9. v.* nobis autem pudor faciei. *4. 5.* Mauricius Imperator, Gente Cappadox, cum videret Liberos & Conjugem gladio feriri, mox ipſe quoq; decollandus, hanc peccatorum ſuorum confeſſionem edidiſſe ſcribitur: Juſtus es Domine, & rectum eſt judicium tuum.

Hunc primum ac maximè neceſſarium fructum ex præſenti perſecutione Palatinatus hauſit, ut ex animo fateatur Domino tranſgreſſiones ſuas. Tu Spinola, tu Cordova, tu Tilli, tres immanes ac truculentiſſimæ Furiæ, vos ipſi, inquam, ut ſæpè audivi, faſſi eſtis, malleum vos eſſe in manu Domini, per quem contundere ad tempus ac conterere Deus Palatinatum velit. *Jer. 51. v. 20.* Benè eſt, Deus per vos perterricrepa illa inſtrumenta bellica fecit, quod bonum ipſi vi-

 ſum in

ſum in oculis ſuis. Nihil autem fecit, niſi quod toti Palatinatui & multis alijs magno uſui, vobis autem veſtrisq; Dominis maximo damno tandem futurum eſt. Reſtat enim, ut Deus malleum iſtum, ſicut vas figuli, virgâ ſuâ ferreâ æternum conterat atq; confringat.

Pſal. 2. v. 9.

Non ſatis eſt autem peccatorem agnoſcere peccata ſua, niſi eadem cum Davide, Petro, & alijs impenſè doleat, ſeq; extremè humiliet. Sicut enim ille mendaciſſimus omnium meritò habitus fuit, qui quæ cæteri ante ipſum ſplendidè mentiti erant, ea ſe aurito atq; oculato teſte veriſſima eſſe affirmavit: ita is meritò in genere maximus ac impuriſſimus peccator judicandus eſt, qui peccatis ſuis, quaſi peccata eſſe non noviſſet, ſuaviter identidem titillatur atq; afficitur. Hunc autem ex peccatis conceptum dolorem præ cæteris calamitatibus parere & augere ſolet bellum, & ex bello ſequens clades & perſecutio. Notiſſimum eius rei exemplum extat in expeditione Iſraelitica adverſus oppidum Ai, in qua cum 36. tantum Viri cecidiſſent, non totius tantum populi cor inſtar aquæ liquefactum fuit, ſed ipſe quoq; Ioſua, Mavortius ille heros & herus populi Dei, cecidit in faciem ſuam in terram coram arca Iehovæ uſque ad veſperam, ipſe & ſenes Iſrael, & poſuerunt pulverem ſuper caput ſuum, dixitque Ioſua: O Domine, quid dicam, poſtquam vertit Iſraël cervicem coram inimicis ſuis? &c. O Domine, quid dicet Palatinatus, totius Germaniæ ſpectabile palatium, poſtquam totus jam (miſerabile dictu) tot clandeſtinæ proditionis cuniculis in hoſtium manus pervenit?

Ioſ. 7. v. 5. 6.

venit? Ah Domine Deus, nihil poteſt dicere præ dolore animi ſui. Ecce autem proſtratus coram te jacet ipſe Sereniſſimus Princeps, à Regno & patrio ſolo exul atque extorris, cum Conjuge ſua, cum Liberis ſuis, cum Senioribus & omni populo ſuo. Dolet Palatinatus humiliter non tam amiſſum ac proſtratum ſplendorem & opes irrecuperabiles, quam quod Patrem ſuum, quem hactenus præ cæteris Imperij & orbis ſtatibus atque ordinibus benigniſſimum expertus eſt, ad iram juſtiſſimam provocaverit. Quæ ad Ioſuam dixiſti, ô Domine Deus: Peccavit Iſrael, *Ioſ. 7. v.* & tranſgreſſi ſunt pactum meum, quod præceperam *11.* eis &c. eadem ipſa totus Palatinatus, humiliter agnoſcit, deplorat, deprecatur. Hæc humilitas atque triſtitia dici vix poteſt, quam fuerit utilis noſtro Palatinatui, ô Fratres! Nam qui ſecundum Deum eſt dolor, *2. Cor. 7.* is Paulo teſte reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, *v. 10.* cujus nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit. Hinc Chryſoſtomus: Triſtemur triſtitiâ gaudij genitrice: non autē lætitiâ triſtitia parente gaudeamus. *Hom. 66.* Hæc triſtitia multis millibus, qui apud vos compendiosâ martyrij viâ cœlum jam ingreſſi ſunt, æterna attulit gaudia. Et nobis, quibus eorundem veſtigia, cū bono Deo intrepidè ſequi certa ſtat ſententia, eadem gaudia parata eſſe ab æterno, certò ſcimus. Neq; verò dubitamus, ſiquidem naturâ ita comparatum eſt, ut extrema mœroris gaudiū poſſideat, non dubitamus, inquā, quin brevi poſt nubila iſthæc ſplendor gratiæ divinæ Palatinatū noſtrū clarâ iterū luce ſit illuſtraturus. Cogitemus verò etiam, quam neceſſarium fuerit, Palatinatū noſtrum Electoralē ad

Matth 11. v. 27. tempus humiliari ac triſtitiâ affici. Erat is omni gloria coronatus, & ut Chriſtus de Capernaumo loquitur, ad cœlum uſq; ſublatus. Ne ergo cum Capernaumo in tanta exaltatione & exultatione ſua ad inferos tandem deprimeretur, hac præſenti perſecutione ad tempus humiliandus fuit. Ipſi illi inimici noſtri, & in his Vicedominus N. qui præ cæteris etiam per molle oſculi blandimentum exſecrabile jaculum proditionis Palatinatui infixit, is, inquam, ut audio, quo tempore Spinoſus ille Spinola primũ exercitu ſuo Palatinatum invadere auſus eſt, obviam alicubi factus Generoſiſſimo Burggravio Alzeano, dicere & quærere non erubuit: Genädiger Herr/ gelt es hat die Churfürſtl: Pfaltz ein mal ſollen gedemütiget werden? Salsè ac mordacitér ille quidem, ſed tamen (quod fatendum eſt) verè: Oportebat enim Palatinatum, quando aliâ ratione vix poterat fieri, tantâ tamq; inopinatâ perſecutione opprimi ac humiliari. Sed cur dicam humiliatum eſſe Palatinatum, quando ſic demum verè exaltatus eſt? Nam ut ipſe ego cum multis alijs à Concionatoribus Heidel. (quorum recordatio ob præſentem ſtatum, ut Tertull. de liberis inquit, amariſſimam gignit voluptatem) ſæpè audivi, Palatinatus Eccleſijs ad ſolidam in his terris perfectionem præter inſignem aliquam perſecutionem nihil amplius deeſſe. Sit ſanè coram mundo ſic proſterni ac humiliari dedecoroſum: coram Deo tamen & S. Angelis glorioſum, & ipſius Chriſti exemplo conforme eſt.

Ruff. verba in expoſit. Symb de Juda proditore.

Lib. 1. ad Uxor.

Attulit verò hæc Perſecutio hunc etiam, ô Palatinatus, eximium tibi fructum, quod præcipuæ iſtæ

virtutes, Fides tua, Spes tua, Patientia & Perſeverentia tua, tua nominis divini conſtans Invocatio, & Evangelij Jeſu Chriſti irretorta confeſſio, Te jam inter ſacrum, quod ajunt, & ſaxum diu diuq; conſtitutum multò, quàm fueris ante, clariorem reddiderunt. Ἐν δυςηχίαις γὰρ, ut Græci dicunt, λάμπει τὸ καλόν. Hæ tuæ virtutes ſatis quidem antè Deo notæ erant, ſed ſcire debes, hæc fidei & conſtantiæ documenta, ſicut de Abrahami tentatione Auguſtinus loquitur, *De Civit. Dei, l. 16. c. 32.* ſeculis in notitiam fuiſſe proferenda, non Deo. Equidem non ignoro (ſolâ enim perſecutione humanorum cordium διαλογισμοὶ omnium clariſſimè deteguntur) aliquos ex tanta multitudine apud vos inventos eſſe, & adhuc inveniri, qui tantū perſecutionis impetū ſuſtinere neq; valuerint neq; voluerint: quiq; adeò vel fidē Chriſto datam hypocriticē abnegaverint, vel periculoſē in eadē vacillaverint, & adhuc vacillent. Sed ſicut pro iſtis rogandus eſt Domin⁹, *Luc. 22. v. 32.* ut fides ipſorum non deficiat: ita in cœlum uſque tollendi ſunt cæteri omnes, & ab omni oblivione vindicandi, qui inter crudeliſſimos hoſtes millies mori, quàm vel latum unguem ab agnita veritate diſcedere maluerunt. Monendi etiam ſunt reliqui, *1. Pet. 4. v. 12. 13.* ut in hac exploratione per ignem, quæ fit ad ipſorum experimentum, nequaquam, quaſi novum & *Actor. 5. v. 21.* peregrinum aliquid ipſis accideret, percellantur: ſed potius pro nomine Jeſu contumeliâ affici cum Apo- *Rom. 8. v. 17.* ſtolis lætentur. Si enim cum Chriſto perſecutiones & odia toleraverint ac perpeſſi fuerint, cùm eo- *2. Tim. 2. v. 11. 12.* dem etiam regnabunt & glorificabuntur.

Hinc Chriſtus omnes prædicat beatos, qui ju- *Matth. 5. v. 10.*

 ſtitiæ

ſtitiæ cauſa perſecutionem patiuntur. Nec verò quenquam fideliſſimus pater cœleſtis ſupra vires
1. Cor. 10. tentari permittet, ſed unà cum tentatione præſtabit
v. 13. ἔκβασιν, ut poſſimus ſufferre. Adeſt nunc tempus illud, quo Deus fructum diuturnæ pacis, fructum prædicationis Evangelicæ à Palatinatu repoſcit. Reſpicite ergo, ô chariſſimi, non tantum vetera laudatiſſimorum martyrum, ſed etiam recentia exempla ſociorum noſtrorum in Valtelina, qui tantam lucem non viderunt, ut vos vidiſtis, eorumq; veſtigia premendo clariora reddere conſtanter ac fideliter, ſicut cæpiſtis, pergite.

Sic ergo perſecutio huius temporis præterita peccata ceu præcipuam horum malorum cauſam lugere docet, & quas in præſenti reſiduas habeamus Spiritus S. vires exertè oſtendit, ac velut aurum in igne probat. Nunc an aliquid etiam utilitatis & commodi ex iſta perſecutione tempore mox futuro, & in finem uſque mundi duraturo capturi ſimus, videndum erit. Ego cum Davidis verba Pſal. 78. cogito, de hoc nec tantillum dubitare poſſum: Is enim
Verſ. 35. de Iſraelitis ſic loquitur inter alia; Si Dominus oc-
36. & ſeqq. cidebat eos, quærebant eum, ac revertebantur, & diluculo quærebant Deum; Et recordabantur, quod Deus rupes eorum eſſet, & Deus excelſus eſſet redemptor eorum. Et quamvis cor eorum non erat rectum cum eo, nec ipſi fideles in pacto ipſius, ipſe tamen miſericors condonavit iniquitatem, neque excitavit omnem iram ſuam &c. Sic mihi, ô Fratres, de Auditoribus noſtris, deque omnibus Palatinatus ſubditis optimè perſuaſum habeo fore, ut penè jam oc-

ciſi

ciſi, ac ad triarios redacti, Deum excelſam rupem ac redemptorem ſuum non tantum ardentiſſimis precibus diluculo quærant, ſed etiam per veram pœnitentiam, totiusque vitæ reſtaurationem pacto Evangelico per omnia reſpondentem, ad eundem revertantur. Quia enim παθήματα ſolent eſſe μαθήματα, tunc certè optimi ſumus, quãdo, ut Plinius teſtatur, infirmi ſumus. Ac videor ego quidẽ jam jam mihi nôvã in Palatinatu faciem videre rerũ omniũ. *Lib. 7. Epiſt.* Videor mihi videre admirabilẽ omniũ pietatẽ ac Zelum erga Deum, ſumiſſam ac debitã obedientiam erga legitimũ Magiſtratũ: egregiam reverentiam ac ſumiſſionem erga S. Miniſterium: ſuaviſſimam ſubditorũ concordiã: morum ac vitæ totius in omni ætate, ſexu & ordine hominum præclaram lucem. Ex hoc quid aliud conſequatur, quam ut Deus depoſitâ irâ ſuâ in vitam reſtituat, quos morte affecit? *1. Sam. 2. v. 6. 7.* educat è ſepulchro, quos in ſepulcrum demerſit? ditet, quos pauperes fecit? extollat, quos in pulverem depreſſit? Si enim Deus multoties miſericors fuit Iſraelitis in perſecutionibus, qui non recto corde, ſed hypocriticè tantum pœnitentiam egerunt, quiq; adeò in pacto Domini non diu fideles perſtiterũt: quidni miſericordiæ oculis reſpiceret Palatinatũ, qui ſic integro corde non tantum debiti obſequij fidelitatẽ Deo ſuo vovet, ſed etiã re ipsâ haud dubiè præſtat, ac deinceps præſtabit? O ſubditi ac ciues Palatini, brevi aderit tempus, quo cũ Davide dicetis: Bonũ nobis fuit ſic affligi, ut diſceremus ſtatuta tua. *Pſal. 119. v. 71.* Quæ de populo Dei redituro in Jeruſalem ab exilio ſuo apud Zachariam leguntur, eadẽ vobis quoq; hodie meâ, bonorumq; omniũ ſpe ac

preci-

precibus, inprimis verò bonitate ac promiſſionibus Dei fretus, annuncio: Sic dicit Jehova: Revertar ad Sionem, & habitabo in medio urbis Jeruſalem (in medio Palatinatus) vocabiturq; ipſa Jeruſalem (ipſa Heidelberga) Urbs veritatis, & mons Jehovæ exercituum, mons ſanctus: Sic dicit Jehova exercituum: Adhuc habitabunt ſenes, & anus in plateis Jeruſalem (in plateis Palatinatus) & viro erit baculus in manu præ multitudine dierum. Plateæ quoq; urbis (totius Palatinatus) replebuntur pueris & puellis ludentibus in plateis ejus. Sic dicit Jehova exercituũ, quod ſi hoc difficile videatur in oculis reliquiarum populi huius, in diebus illis, an etiam in oculis meis difficile erit, ait Jehova exercituum? Sic dicit Jehova exercituum; En ego ſalvum facio populum meum Iſraeliticum (populum meum Palatinum) Ipſe erit mihi in populum, & ego ero ipſi in Deum in veritate & juſtitia. Nam ante dies iſtas merces non fuit hominis, nec merces animalis: quin & exeunti & introeunti nulla erat pax præ anguſtia; nunc autem non juxta dies illos priores faciam reliquijs populi huius, dicit Jehova exercituum. Nam ſemen pacis eſt: vitis dabit fructum ſuum, & terra dabit fructum ſuum: cœli quoq; dabunt rorem ſuum, & poſſidere faciam reliquias populi huius univerſa iſta. Evenietq; ut quemadmodum fuiſtis maledictio inter gentes (inter Hiſpanos, Crabatas, Bavaros) ô domus Juda, & populus Iſrael (ô domus Palatina Electoralis) ita ſervabo vos, & eritis benedictio: propterea ne timeatis, ſed confortentur manus veſtræ. Sic enim dicit Iehova exercituum,

Cap. 8. v. 3. & ſeqq.

NB.

Quem-

Quemadmodum cogitavi malefacere vobis, quum me ad iracundiã provocarent Patres veſtri (Principes, Præfecti veſtri &c.) neq; me pœnituit: ſic converſus cogitavi in diebus iſtis benefacere ipſi Jeruſalem, & domui Juda (ipſi Heidelbergæ, & domui Electorali) quapropter ne timeatis. Hæc ſunt autẽ, quæ poſtea facietis. Loquimini veritatem quiſq́; cum proximo ſuo, veritatem ac judicium pacis judicate in portis veſtris: Et quiſq; malum proximi ſui ne cogitetis in cordibus veſtris: atq́; juramentum mendax ne diligatis: omnia enim iſta ſunt, quæ odi, ait Jehova &c. O cives ac ſubditi Palatini, brevi aderit tempus, quo, quod Auguſtinus Davidem imitatus ſcripſit, re ipſâ verum eſſe comperietis: Premuntur juſti in Eccleſia, ut preſſi clament, clamantes exaudiantur & exauditi glorificent Deum. Si enim (ut idem auguſtiſſimus author præclarè ſcriptum reliquit) Deus non ſciret uti malo ad bonum, nihil bonis in mundo accideret mali.

Ex hac brevi narratione conſtare ſatis opinor, ô Domini ac Fratres honorandi, optimo & fine & fructu à clementiſſimo Patre cœleſti Palatinatum noſtrum tantis perſecutionum fluctibus agitatum eſſe atque concuſſum.

Si enim Deum ſpectemus, eius ex hac perſecutione mirabiliter ſe exerent magis magiſq́; virtutes, ut ſunt ſapientia, juſtitia, robur ac bonitas: ſi verò nos ipſos aut alibi habitantes fidelium cætus intueamur, noſtra ipſorumq́ue æterna gloria ac ſalus ulterius patiendo ac moriendo majores ſubinde comparabit vires. Tale namque ſemen ſanguis Chriſtianorũ eſt ſecundum Tertullianũ, ut quoties metimur ab adverſarijs, toties efficiamur plures.

At hoc, dicetis forſan, ne per tranſennam quidem cogitârunt adverſarii, ſed longè aliud. Non enim Eccleſiæ ulteriorem ædificationem quæſiverunt, ſed finalem interitum. Verum, imò veriſſimum: Sed hoc i-

pſum argumento eſt, non ipſorum armis aut conſilijs, ſed Dei providentiâ totum hoc negocium regi ac gubernari. Adeò ut Eccleſia Palatina meritò cum Joſepho dicat: Vos Hiſpani, Hiſpanorumque jurati in Germania ſervi, malum cogitâſtis adverſus me, ſed Deus cogitavit
Gen 50. illud in bonum convertere. Hic neque volo inficiari
v. 20. neque audeo, Evangelicos in his & alijs regionibus vobis nihilo meliores, ſed multò fortè deteriores & eſſe,
Jerem. 25. & pridem, dudum, modò fuiſſe. Sed vos cum Jeremia
v. 29. ac Petro ipſi optimè ſcitis, judicium Domini ſic à domo
1. Pet. 4. ipſius exordium ſumere, ut civitas ac regio, in qua ma-
v. 17. ximè per veram invocationem ac pietatem inclaruit nomen Domini, maximis etiam diaboli ac mundi furoribus in hoc mundo ſemper maneat obnoxia. Interim nobis & alijs neſcio cui graviori, ut quidam dixit, fato reſervatis cogitandum: Si juſtus vix ſervatur, impius &
1. Pet. 4. peccator ubi comparebit? Item: ſi in virenti ligno iſta
v. 8. accidunt, in arido quid fiet?
Luc. 23. Sanè ſi non planè obbruteſcere, ac toti aliquando
v. 31. perire volumus, ſingulis momentis nihil aliud nobis imaginemur, quam nos quoque ceu Chriſti oviculas quotidianæ mactationi jam jam deſtinatas eſſe.

Quantis enim & noſtræ, & Rheticæ, & Gallicæ, & Belgicæ Eccleſiæ ſint obiectæ & ſubjectæ periculis, nemini amplius in toto orbe Chriſtiano poteſt eſſe obſcurum. Hîc rogandus quidem eſt Dominus, ut hunc calicem à nobis dignetur transferre, ſic tamen, ut non noſtra, ſed ipſius longè optima, juſtiſſima, ac ſapientiſſima voluntas in nobis compleatur ſemper. Ad me privatim quod attinet, per inexpectatam illam vocationẽ Dei ac Mæcenatum meorum, tempeſtivè quidem, dum fata ſinebant, præſentiſſimis periculis, ut avis de laqueo venantium, ereptus ſum: quo nomine ſecundũ Deum Pro-

motoribus meis honorandis, dū lingua, manusq; vita hac motuq; fruentur, im̄ortales gratias acturus ſum. Sed ut pauci aliqui, qui ex periculoſiſſimo fortè naufragio enatarunt, ſum̄o cum dolore & cruciatu reliquorū in littore miſerandum interitum ſpectare coguntur: ita ſenſibus imis afficior, & ut Evangelica voce utar, σπλαγχνίζομαι, quoties (quod ſemper fieri neceſſe eſt) de vobis, de ſtatu veſtro præſenti loqui ac cogitare incipio. Huic anguſtiæ accedit deinde præter ordinarias Miniſterij curas non leves, illud cujuſdam ἀναγκαῖον κακὸν, quod hominem, ſi Ariſtoteli credendū, dimidia felicitatis parte privat. Adeò nihil ubiq; locorum ex omni parte beatum eſt. Sed ſæpè ego dicti illius recordor: Feras, non culpes, quod mutari non poteſt. Omnis enim, ut nobiliſſimus Poetarum cecinit, fortuna ſuperanda ferendo eſt. *In Rhetor.*

Aliâs cum Uxore, & 2. Filiabus, & unico Filiolo, quē Deus ſtatim poſt meū in patriam adventum donavit nobis, in Chriſto benè vivo ac valeo. Fruor etiam per Dei ac Mæcenatum gratiam ſtipendio laudabili; idq; in oppido ad Rhenum ſito tam læto atq; amœno, ut locum in hac regione vix liceat reperire ſimilem. Utinam rerum quoq; veſtrarum ſtatum brevi ad unguem cognoſcerē. Quandiu enim vobis cum Familijs & Eccleſijs veſtris malè eſt, tandiu mihi, Domini & Fratres obſervandi, in ſum̄a etiā tranquillitate benè eſſe nequaquam poterit. Qui quidem affectus minimè, ut puto, aſpernandus me quoq; excuſabit, quod vobis intelligentibus hac tam inconditâ epiſtolâ majorem potius moleſtiam, quam recreationē fortè allatam dicturi eſtis. Si enim Blaſius ille Alexander, Rhætus, ex carcere nuper ſuo, antequam grata Deo victima Oeniponti fieret, σὺν αἰχμαλώτοις καὶ συνεργοῖς ἑαυτοῦ, D. Alexio, & D. Joh. à Porta liberationem ex diuturnis vinculis egregio carmine gratulatus eſt, multò magis ego liber adhuc vos

 quoq;

quoq́; notiſſimos ac ſummè mihi honorandos Dominos ac Fratres in Chriſto, celeuſmate quodam tandem aliquando ſalutare, proq́; virili συμπαθῶς conſolari volui ac debui. Quod quidem ut inpoſterum mutuò inter nos quàm creberrimè fiat, ſingulariter opto.

Ad extremum Te, ô vive & omnipotens Deus, æterne Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti toto pectore ſupplex oro, ut propter ſanctum nomen tuum Sereniſſimũ FRIDERICUM Electorem, optimum Eccleſiæ tuæ defenſorem, & quaſi alterum Davidem, cum tota Illuſtriſſima familia ab exilio in hæreditatem avitã paternè reducas: ut fideliſſimos Eccleſiarum Palatinarum Ephoros ac Paſtores inter ſæviſſimos lupos & urſus miſerabiliter hinc inde diſperſos & oberrantes gratioſè colligas, ſuisq́; gregibus reſtituas: ut deniq́; omnes & ſingulos fideles tam in Palatinatu, quàm alibi, ſub tam diuturna cruce ac perſecutione inſtar hirundinum & columbarũ gementes brevi exaudias: quò tandem uno ore Te unicum Deum noſtrum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, μεσίτην ἡμῶν καὶ ἱκέτην συμπανσονίζοντες laudemus ac celebremus, Amen. Valete Domini ac Fratres in Chriſto honorandi, & hanc epiſtolam pijs ſubinde lacrymis irroratam benignè accipite. Qui verò ſucceſſores mei facti eſtis N. & N. oves meas priſtinas meo nomine plurimum ſalutare, easq́; in fide & vita ſtrenuè, ut facitis, confirmare pergite. Quin & meipſum veſtræ ſalutis ac dignitatis cupidiſſimũ mutuis pre-
Hebr. 13. cibus apud Dominum ἀδιαλείπτως juvate. Valete iterum.
v. 15. Deus, qui dixit, Non deſeram, neq́; derelinquam vos, ſit
*Matth.*28 Spiritu ſuo & gratiâ ſuâ vobiſcum omnibus diebus
v. ult. uſq́; ad conſummationem ſeculi:
Apoc. 22, Amen, Amen.
v. 20.

Veni Domine Jeſu.

99 252683